



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.III. sanctißimi P. N. Benedicti. M.XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

eleſtæ educat. Quorum aliqui, ignorantiſſimo ſanè ſaculo, & ob hoc ipſum tot erroribus obnoxio, meritis etiam de re litteraria gravibus excelluere. E quibus hoc ipſo anno, Lucas Bernardus Brixienſis ſe prodidit, cui alia inter debet ſera poſteritas Beati Joannis Chryſoſtomi Homilias octuaginta è Græco in Latinum converſas, quæ Baſileæ Rauracorum tomis duobus excuſæ ſunt.

*Theophilus
Martini
Epiſcopus
Drivaſti.*

E congregatione ſimiliter noſtra Camaldulenti, eminet juxta alios, Theophilus Martini, vir præſtantiſſimus, Balnenſis primum Monachus, dehinc Abbas, ob vitæ autem doctrinæque merita Cænobio extractus, & Drivaſtenſis in Candia Regno Epiſcopus ordinatus, quem ipſe honorem ita geſſit, ut honoratiorem redderet, novo exemplo docens, quantum Cathedris etiam eminentiſſimis Monachi veteres ſecum contuliſſent.

Rurſum aliud Regnum, novis luminibus colluceſcit, calore incaleſcit, Neapolitanum ſcilicet, & ipſa Metropolis, ac ſedes Regum Neapolitana urbs, Reformatione Ordinis novâ, fervore Religioſorum novo, ſuccenſo primum Divini Spiritus igne præ alijs Cænobijs, ſancti Severini ſpectatiſſimo ibidem Archiſterio, cuius conatus, uti cælum excitavit & juvit, ſic ipſe Archidux & Patriarcha Monachorum Benedictus, prodigioſo applauſu approbavit, & commendavit. Sicut deinceps audiemus.

*S. Severini
in Urbe
Neapolitana
Reformatio.*

Germania, eſt poſtrema plerumque, tanquam natura tardior, ſobrietatis tamen & frugalitatis exemplis non omnino carens, produxit hoc ipſo tempore, qui reformationis, toto ſtudio ſatagerent, quos inter Ortho ab Elten five Eltern Archiſterij Trevirenſis S. Maximini Archimandrita, Reformatore ſtrenuus, perfectionis ſtudio cultiſſimus, hoc ipſo anno beatiſſimo fine, ultimâ Aprilis decedens, ſucceſſorem pari Zelo reliquit Thomam ab Hueſden Brabantinum, uterque non ſuo ſolum Cænobio, ſed multis alijs vitæ exemplo plurimum profuere.

*Ortho ab
Eltern
Abbas S. Maximini
Trevir.*

Nec minori laude & magnis conatibus celebrem Chriſtianum Abbatem in ſuperiore Altaich Bavariæ hoc anno mortuum Cæſari Maximi-

*Chriſtianus
Abbas
Altaich.*

liano & Alberto Bavariæ Duci chariſſimum mortalibus ereptum conſequutus pari Religione & Reformationis Studio Georgius, & Monasterium ſuum, & vicina immortaliter demeruit. Chriſtiano pro meritis, Filij ſacri ſequens Epitaphium poſuere.

*Epitaphium
ejuſdem.*

Sexto Kal. Julij anno Chriſti 1502. Obijt venerabilis Pater ac Dominus Chriſtianus Abbas noſtræ Congregationis, Vitæ Regularis Zelator, Virtutum Cultor, Vitiatorum Ultor, Fratrum amator, Monasterij Reformatore, partimque Reſtaurator.

Ipſo anno 1502. in Regno Polonia, Monasterio ſanctæ Crucis Montis Calvi, Benedictini Ordinis, ſupra quinquaginta Monachi, Tartaris Cænobium inſuadentibus, in Eccleſia collecti, dum SALVE REGINA, toto animi Voto depromunt, à barbarijs crudeliter maſtati, coeptram Salvationem coram Regina Martyrum in Cœlis feliciter abſolvunt. *Ex monim. ejuſdem Cænobij.*

Obijt eodem ipſo Virgilius eo nomine II. Abbas S. Petri Salisburgenſis, de quo Albertus intaminatiſſimæ Vitæ Succeſſor: *qui non ſolum Verbo ſuis præſuit, inquit, ſed ſanctæ Converſationis exemplo, comprobante ſeſe hoc ipſum in mœſtiſſimis à morte ejuſdem diſcipulis, & ſucceſſorem Anteceſſori non imparẽ eligentibus, adeo concorditer & unanimiter, ut qui tunc intererat ipſus Electioni Archiepiſcopo Leonardus, à Keutſchach, nunquam ſe vidiffe ſive audeviſſe tam ſanctam & concordem Electionem.* ut facile, de cætera etiam loci diſciplina omineris.

*Virgilius
Abbas S. Petri
Salisburg.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. III.
ſanctiſſimi P. N. Benedicti.
M. XXIII.

Nil proficientibus tantis & viris & virtutum exemplis, Germania nihilominus, cibi potuſque corporalis, nimiâ fame, liti, & ingluvie, Gratiarum Numinis & ſacrorum influxuum haud minimo impedimento, languens ipſa ſacietate, etiam lethargo laborare videbatur. Tepebant cum pietate litterarum etiam ſtudia: creſcebat cum avaritia & licentiâ cleri, odium & obſtinatio populi,

*Status
Germania.*

puli, Principum crudelitas & ambitio, novarum apud plerisque Studium rerum, Divinarum fastidium; quin & profundius diabolica summa superbiam, hoc est Hæreseos semina inadvertentibus, quorum maxime intererat, afferre remedium, Serpebant. Ominabatur facile, ut perpicacissimo erat animo, Magnus ille Trithemius Spanheimensis Abbas, Illustrissimum sæculi hujus Sydus, ornamentum Germaniæ æternum, utque tantum malum, quod experti sunt Patres nostri, & nos usque & usque experimur, providè averteret, patriæ confuleret, Principes cum sacros tum profanos periculi admoneret, consilia in rem oportuna & necessaria subministraret, omnem lapidem movit, dies noctisque laboravit, cuique apud exteros parum, aut nihil proficeret, illud inprimis conatus est, ut sui Ordinis collegas, Bursfeldensem maxime amplissimam Congregationem, in officio contineret, novo fervore spiritus accenderet, otium & ingluviem proferberet, litterarum studia restauraret, quod & plurimis locis effecit, tantumque potuit, ut tam in inferiore quam superiore Germania, & eruditionis laude, & vitæ meritis plurimi enitescerent, & facta omnia atque integra conservarent, nisi oblata jam præcepsque in exitium patria consilium jam omne & medicinam contemptam respuisset. Ipse ante omnes Trithemius, *Vir, si doctrinam spectet, Wionio Teste, sapientissimus; si sanctitatem, incomparabilis, & quodam modo, ut ita dicam, Orbis Miraculam*, ipse, inquam, gliscentibus jam tunc per Germanias Hæresum seminibus, primus omnium, non sine Numinis speciali impulsu occurrit, dormitantes passim pastores excitavit, fideliter præmonuit; egregio sanè Fidei, Vigilantiæ atque industria exemplo demonstans, quid Hæresibus in apertum erumpentibus facturus erat, si superstes foret, quibus, velut præseus futurorum, insigni octo Questionum enodatione, sese opposuit, & lucubrationes illas anno sequenti [quo nimirum Caput ipsum Imperij adversum technas & machinationes impiorum, præmuniret]

Maximiliano I. Cæsari Augustissimo consecravit. Fuere autem sequentes:

1. De Fide & intellectu.
2. De Fide necessaria ad Salutem.
3. De Miraculis Infidelium.
4. De Scriptura sacra.
5. De Reprobis atque Maleficis.
6. De Potestate Maleficarum.
7. De Promissione Divina.
8. De Providentia DEI.

Monimenta Abbatris Trithemij.

[Quo quidem libro pestem Germaniæ maximam, prævidit, & extinctam in ortu & semine voluit]

Magna Trithemij providentia.

6. De Potestate Maleficarum.
7. De Promissione Divina.
8. De Providentia DEI.

Neque minus provide idem lectissimus Abbas hoc ipso tempore solenter scripsit.

- De quibusdam in Psalterio dubijs. Lib. 1.*
- De certis dubijs & questionibus in Evangelio juxta Joannem. Lib. 1.*
- De Prænotionibus licitis Christiano & non licitis. Lib. 2.*
- Variarum questionum, orationum, & propositionum. Lib. 20.*

Inexplicabile vero meritum, quo obstrictam Germaniam universam [utinam impia & diabolica hominum pestis & colluvies agnosceret] voluit, illud fuit, quod improbas mortaliū, invalescentibus nimium totis provincijs superstitiones, Magiam, & apertam atque clandestinam cum Inferis consuetudinem detestandam, & maleficia omnia excindere pro virili laboravit, ac proin

Trithemius Magicarum superstitionum profigator.

CONTRA MALEFICOS, OMNESQUE artes ac superstitiones ab Ecclesia prohibitas libros quinque scripsit.

His alios duodecim: De Demonibus & artibus profanis maleficis, & superstitionis addidit, inque iisdem omnium diabolicarum artium vafraimenta, egregiè exploisit & avertit. Quod dein animadverteret, quantum bonarum artium & litterarum ignorantia mali mundo inferret, totus in eo fuit, ut in ipsis Monasterijs, primis olim apud Germanos litterarum Gymnasijs, Studia revocaret. Unde præter illam, quam solus ipse suomet Marte, arte, ingenio ac manu Bibliothecam integram composuit & scripsit; aliam insignem, conquistis præstantioribus totâ Europâ libris Manuscriptis, ut alijs Abbatibus exemplo esset & incitamento, sedulo & magnis

Litterarum Studia passim promovit.

Jamnis Trithemij Abbatris co-natus.

Item Hæreseos avertere distigimus scriptis.

